e-codices

Inaequalitatis genus cadit. Nec seruatur ut multiplicitatis ordinem. ut superparticularitatis simplicitatem. Age enim; statuantur numeri. quibus ad facilius approbemus; Sit enim ternarius. cuius sit senarius duplus. scilic& in diapason consistens proportione; huic aptetur sesquitertia. quam diatesseron ee praediximus ut octonarius; Is enim ad senarium diatesseron proportionem ten&; Qui octonarius ad ternarium comparatus. hab& eum bis. Sed nec sit multiplex hab& &iam eius aliquas partes neq: eas simplices. Duabus enim eum superuenit unitatibus. quae sunt duae tertiae partes ternarii. quem primum terminum minimumq: locauimus. Sint igitur termini hi; III. VI. VIII. [si obstat. ✓ si lector agnoscat] Illud quoq: quod inter duas sibi [i. dupla et tripla] continuas consonantias cadit. [ipsa diapason et diatesseron] Et enim neq: duplum est integrum ut diapason consonantiam prodat. neq: triplum. ut diapason ac diapente efficiat simphoniam. [diapason et diatesseron] Cui si tonus addatur. mox triplum [i. diapason et diapente] modum proportionis effici&; Quoniam enim diapason ac diapente sibimet iunctae efficiunt triplum. diatesseron uero & tonus diapente consonantiam iungunt. si diapason consonantiae addatur diatesseron inconsonum fit. quoniam inter duplicem ac triplicem. nulla potest naturaliter proportio multiplicitatis intellegi. Quod si ei adicio tonum. fiat diapason diatesseron & tonus. quod nichil distubit. utrum diapason ac diapente sit. Diatesseron enim & tonus. diapente constituunt; Sit enim diapason quidem. III & VI. diatesseron. VI & VIII. tonus. octo & VIIII. Diapente. VI. & VIIII. Diapason ac diapente. III. ad VIIII. Erit igitur sic tripla proportio. III. VI. VIII. VIIII. Sed quamquam de his multa nichomachus. nos tamen qua potuimus breuitate. partim ea ipsa quae Pitagorici affirmant promentes. partim ex his de quaedam consequentiam argumentantes. probauimus si diatesseron consonantiae diapason addatur. consonantiam ex his coniungi non posse; Quid uero de his sentiat tholomeus posterius apponam. Sed de his hactenus; Nunc de semitoniis considerandum.

[Right margin: sub probat non posse ~~ex~~ ee consonantiam quod cadere necesse si fiat. inter duplicem et triplicem. ~~quod enim nulla ... ne possibile~~ quamuis ptolomeus si uoluerit ut ipse dic in libro V. cap. VIIII. Et enim coniuncta diapason et diatessaron triplus redduntur quam diapason. et ad diapason et diapente non perueniunt. et ideo dic ex cadere inter istas continuas consonantias]

DE SEMITONIO. IN QUIBUS MINIMIS NUMERIS CONSTAT.

Videntur enim semitonia nuncupata. non quod uere tonorum sint medi&ates. sed quod sint non integri toni; huiusq: spatii quod nunc quidem semitonium nuncupamus. apud antiquiores autem limma. ut diesis uocabatur. hic modus est. Cum enim ex sesquitertia proportione quae diatesseron est. duae sesquioctauae habitudines quae toni sunt auferuntur. relinquitur spatium quod semitonium nuncupatur. Quaeramus igitur duos tonos. continua dispositione descriptos. Sed quoniam hi ut dictum est. in sesquioctaua proportione consistunt. duas q: sesquioctauas proportiones continuas adhibere non possumus. nisi multiplex ille. a quo hae [duae] deriuari possint reperiatur. Sit unitas prima. eiusque octonarius octuplus primus. Ad hoc igitur unum sesqui

Lizenz: CC-BY-NC – Einsiedeln, Stiftsbibliothek, Codex 298(119), p. 69 – Boetii geometria et musica (http://www.e-codices.ch/de/sbe/0298/69)